DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... AB...

Joannes Michael : de Lerma, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
CLEMENTI XII.
PONTIFICI MAXIMO

MICHAEL DE LERMA
FELICITATEM.

CUm *divinam Auguſtiſſimæ* TRINITATIS *erga nos beneficentiam Te coram*, BEATISSIME PATER, *profiterer*, & *prædicarem*, *quantum ſuper cæteros*

homines , qui maximam , ac prope divinam ſuſtines dignitatem , Tu illi deberes , forſitan excogitabas. Hoc profecto erat pietatis Tuæ , neque ab gratiſſimo tuo iſto erga Deum animo cæterorum mentes alias tunc eſſe decebat , qui cum munificentiſſimum Deum recordarentur , & Te cernerent , non poterant oblivisci , quanto firmamento , atque ſplendore Eccleſiam ſuam munierit , ac exornarit , cum Te ſupremum voluit eſſe Pontificem . Quid enim nobis poteſt contingere optatius , quam Optimum habere Principem , & Pontificem optimum , qui ita noverit ſe utrumque præſtare , utriuſque munera ita componere ; ut

Digitized by Google


Deo, cujus vices gerit, non ſolum habeatur, ſed ſit etiam quam ſimillimus? Veneramur ſiquidem in tua hac majeſtate, & Principis juſtitiam, qua non tam vitia coerces, & comprimis, quam virtutem remuneraris, & amplificas: Veneramur Pontificis fidem, cujus ſignum ad bene ſperandum, cum ſuſtuleris, fratres tuos confirmas, & in viam ſalutis dirigis Univerſos: Veneramur pietatem, prudentiam, atque humanitatem, per quas diſſenſiones Regum, variaſque voluntates moderaris, ac contines, cunctorum deinde hominum ſocietatem adeo amplecteris, & foves, ut omnes, & ſingulos ad Te divino

Digitized by Google

jure pertinere recenſeas. Ego verò Sanctiſſimam TRINITATEM *oro, atque obſecro, ut quæ tantam nobis omnibus in Te impertita eſt felicitatem, diù tueatur, ac ſervet: idque efficiat, ut hi pedes tui, quos pronus deoſculor, pervicaces fidei hoſtes invictiſſimè conterant, & cum nobis ii, qui vinci poſſunt, ponè ſanctiſſima eorum veſtigia proſequantur.*

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

DIES magnus DEI omnipotentis illuxit nobis, BEATISSIME PATER, dominicus dies, & Auguſtiſſimæ TRINITATIS celebritate conſpicuus nobis omnibus, quos unus dominus, una fides, atque unum baptiſma conjungit in terris, de cælo illuxit, & mentes noſtras divino quodam ſplendore illuſtravit. Quamvis etenim Catholicæ Eccleſiæ fides per ſingulas anni partes ſanctiſſimis exerceatur myſteriis, per quæ ad Auctorem ſuum magis, ac magis ipſa contendit; hodiernum tamen hoc, quod cætera omnia ſua amplitudine, ac majeſtate videtur continere, animos noſtros in tan-

Apoc. 16. 14.

Epheſ. 4. 5.

tantam erigit pietatem, & curam, ut, quæ ſingula per ſe venerati ſumus, univerſa in hoc uno demum cumulatiſſimè recolamus. Quæ ſi tanta eſt, tam immenſa ineffabilis hujuſce myſterii religio, ut eam omnibus omnino votis proſequi debeamus: tam deinde periculoſum ejus ſcrutari majeſtatem, ut verendum maximè ſit, ne opprimamur a gloria; adeamus cum fiducia thronum Dei, ut qui pluſquam oportet ſapere ab Apoſtolo prohibemur, ad ſobrietatem ſapere edoceamur.

Prov. 25. 27.

Rom. 12.

Audi *Iſrael dominus Deus noſter Deus unus eſt*; Tres verò eſſe in hac una Divinitate Perſonas, ingenitum Patrem, Filium a Patre genitum, & Spiritum Sanctum, qui ab utroque procedit, noſtræ clariùs proditum memoriæ eſt, & apertiùs enucleatum. Audiat unaquæque Gens tanto tunc primum initiata myſterio, cum ſe chriſtianam cœpit profiteri, quantum uni Deo omnium noſtrum amantiſſimo, quantum ſingulis Perſonis debeat; & ob arctiſſimum illud, quod inter nos, & Auguſtiſſimam TRINITATEM, vinculum, intercedit, ſuæ conditionis decus, & dignitatem hodiernæ celebritatis intelligat. Pater ille omnipotens, qui ſe ipſum noſcens parem, & æqualem ſibi Filium gignit, numquid non ipſe Pater eſt etiam tuus, qui poſ-

Deuter. 6. 4.

Deuter. 32. 6.

ſedit, fecit, & creavit te? Numquid non Pater eſt unus omnium noſtrum, ſi communem creationis, & providentiæ, ſi præcipuam ſpiritualis adoptionis cauſam ſpectabimus digni per ejus benignitatem effecti, qui Patrem ipſum credamus, & merito nuncupemus? *Non enim*, ut Apoſtoli verbis utar, *ſpiritum ſervitutis accepimus in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei*, & infra, *eam charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*. Qua igitur, & quam grata voluntate nos decet eſſe in parentem optimum, cum hujuſmodi beneficii mentionem facimus; quo amore, & benevolentia ſingulari erga Patrem omnipotentem rapi, atque converti, ut memoria eum, ſi fieri poſſit, colamus ſempiterna!

Malach. 2. 10.

Rom. 8.

At quid, ſi unigenitus ille Filius, qui ſedet ad dexteram Patris Deus, & Homo eſt? Nonne quum Deum, atque Hominem appello, jucundiſſimam eam, qua cum Deo noſtro conjuncti ſumus, neceſſitudinem ita videor commemorare, ut nihil admirabilius, nihil illuſtrius, nihil divina in nos bonitate magnificentius poſſit excogitari? Hic nimirum eſt Primogenitus in multis fratribus; hic eſt, qui cauſæ hominum patrocinatur, & interpellat pro nobis; hic, qui olim venturus

Ibidem.

Digitized by Google

turus eſt Judex Patris Verbum, Imago, & Sapientia, non confunditur vocare nos fra-
Eph. 2. 19. tres! Ea igitur cogitatione, quæ Cives Sanctorum decet, & domeſticos Dei, noſmet conferamus in cœlum, ubi patronus cauſæ, & humanæ ſalutis deprecator non tam in ſinu Patris gaudet, quam cum eo rem agit noſtram, apud quem ſumma eſt illi gratia, & auctoritas.

Quid verò ad longinqua aggredior? Si adhuc in terris poſiti per eam, quæ diffuſa
Rom. 5. eſt in cordibus noſtris divini Spiritus charitatem Patris teſtimonium habemus, & Filii, & veritatem omnem edocemur. Ubi vult,
Rom. 3. 8. ſpirat divinus ille Amor, animos noſtros flagrantiſſimo ſuo igne ſuccendit, & in quamdam immenſæ illius felicitatis partem nos vocat; neque in nobis eſt quicquam, altiori quidem, ac gratiſſima voce dicam, neque in nobis eſt quicquam, quod ab illo non acceperimus. Quare cum ad extra Sanctiſſimæ TRINITATIS indiviſa ſint opera, quæcumque dedit nobis Pater, dedit & Filius per Spiritum Sanctum; infinita Dei noſtri erga nos ſunt omnino promerita: noſtræ itaque humilitatis eſt optare Deo trino, atque unico grates etiam referre, ſi poſſemus, infinitas. Quod ſi locus in terris eſt ullus,

ubi

Digitized by Google